



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. IV. De Tertia, Sexta, & Nona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

I. **P**ost Lectionem brevem dicitur *Adiutorium* cum reliquis Versiculis usque ad finem.

II. Si nulla alia Hora sequatur, & non continuata sit Prima cum Laudibus, subjungitur Oratio Dominica.

TITULUS IV.

DE TERTIA, SEXTA, ET NONA.

§. I.

*De Initio.*

I. **A**d initium harum Horarum semper dicitur *Pater & Ave*. Versiculus *DEVS in Adiutorium* semper dicitur, excepto triduo ante Pascha.

§. II.

*De Hymnis.*

I. **O**mittuntur isti Hymni nunquam, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Nunquam etiam variantur, excepta Octava Pentecostes, ubi loco Hymni *Nunc Sancte* dicitur in Tertia Hymnus *Veni Creator Spiritus*.

III. Stropha ultima variatur pro temporis varietate, uti in aliis Hymnis.

§. III.

*De Antiphonis.*

I. **I**n Dominicis, Feriis & simplicibus Vigiliis sumuntur sex Psalterio; in Festis verò ex Laudibus de communi Sanctorum, nisi pro utrisque propriae in Proprio Sanctorum, aut de Tempore assignentur. Sumuntur autem hoc Ordine, ut secunda Antiphona Tertiae Horae, Tertia Sextae, & Quinta Nonae serviat.

II. Nunquam omittuntur, nisi in Triduo ultimo Sacrae Hebdomadae. In Octava Paschatis verò Antiphona *Hec dies* in omnibus Horis loco Antiphonarum aliarum sola dicitur in fine Psalmorum.

III. Ab initio semper inchoantur tantum, in fine verò

ultimi Psalmi integræ dicuntur, & tempore Paschali Alleluia additur.

## §. IV.

## De Psalmis.

I. **S**emper dicuntur, & clauduntur per *Gloria Patri*, excepto Triduo ante Pascha, ubi omittitur hoc *Gloria*.

## §. V.

## De Capitulis.

I. **S**emper dicuntur, excepto Triduo ante Pascha, & ipsa Octava Paschæ usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. In Dominicis, Feriis, & Simplicibus Vigiliis sumuntur ex Psalterio, nisi aliud in Proprio de Tempore assignetur.

III. In Festis accipiuntur vel ex Proprio, vel, si in hoc non habentur, ex Communi Sanctorum.

IV. Semper clauduntur per *DEO gratias*.

## §. VI.

## De Responsoriiis Brevibus.

I. **N**unquam omittuntur, nisi Triduo ante Pascha usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. In Dominicis, Feriis, & Vigiliis Simplicibus sumuntur ex Psalterio, nisi alia in Proprio de Tempore assignentur. In Festis accipiuntur ex Proprio, aut, si hîc non habentur, ex Communi Sanctorum.

III. A Dominica Passionis usque ad Triduum ultimum Sacræ Hebdomadæ nunquam dicitur *Gloria Patri*, nisi in Festis occurrentibus.

IV. A Dominica in Albis usque ad Sabbarum Pentecostes inclusivè, ante primum Versum adduntur duo Alleluia, iterumque post dictum hunc primum Versum sola repetuntur, ipsi tamen Versui nullum additur Alleluia.

## §. VII.

## De Versibus ante Orationem.

I. **S**emper dicuntur, excepto Triduo ante Pascha usque ad Dominicam in Albis exclusivè.

II. Tempore Paschali, id est, à Dominica in Albis usque

que ad Sabbatum post Pentecosten inclusive dicitur post Versus & Responsorium illorum unum Alleluia.

III. In Dominicis, Ferialibus, & Simplicibus Vigiliis, si proprii in Proprio de Tempore non assignentur, sumuntur ex Psalterio. In Festis ex Proprio, vel Communi Sanctorum.

§. VIII.

De Precibus Ferialibus.

I. **D**icuntur, quoties in Laudibus & Prima dictæ fuerunt.

§. IX.

De Orationibus.

I. **N**unquam omittuntur, etiam in Sacra Hebdomade. II. In Dominicis sumuntur ex Proprio de Tempore. In Festis & Vigiliis ex Proprio vel Communi Sanctorum. In Ferialibus ex Dominica præcedente, nisi propriam habeant.

§. X.

De Clausula.

I. **S**emper hæ Horæ clauduntur per *Dominus vobiscum, Benedicamus, Fidelium* (excepto Triduo ante Pascha) & si non conjungantur cum Laudibus, nec alia Hora sequatur, in fine dicitur *Pater noster*, si privatim recitentur; nam publicè omnis hora separatim recitata, & terminata, per *Pater noster*, Antiphonam *Salve* &c. aut aliam, ac *Divinum auxilium* &c. finitur, ut in Rubricis §. 36. dicitur.

TITULUS V.

DE VESPERIS.

§. I.

De Initio.

I. **V**esperæ semper inchoantur à *Pater & Ave*. Versus *DEVS in Adiutorium* semper dicitur, excepto ultimo Triduo Sacræ Hebdomadæ, & Defunctorum Officio.

§. II.

De Antiphonis.

6 6

I. Nun-